



Ioachimus Mynsingerus Dētatus à Frūdeck ex honesta familia natus, & in omni genere literarū optimè educatus est. Is cum primæ rudimenta percipisset, sese ad varias academias cōtulit, & præsertim Friburgi Brisgauriæ in liberalibus disciplinis & arte Poëtica plurimùm profecit. Postea animū ad Iuris studia adiecit, atq; tanta diligētia huic sciētiae incubuit, ut omniū acclamatione Legum Doctor cōstitueretur. Cum hoc modo multifaria eruditione ornatus esset, Friburgi publicus Iuris professor constitutus fuit. Eam functionem is magna laude obiuit, atq; eæ scholæ ornamento extitit. Verūm eius uirtutes nec principes latere potuere. Ita-

que ad Imperialem Cameram Spiram uocatus, & inter supremi iudicij assessores receptus fuit. Scripsit is Poëmata aliquot facili planè & elegāti uena, utpote Austriados libros duos uersibus Heroicis, atq; Batrachomyomachiam Latino uersu elegātissimè expressit, & 1540 Basileæ edidit. Institutiones quoque Iustiniani commentarijs illustrauit, atq; alia huiusmodi in studiosorum uilitatem composuit. Vnde Ioachimus nominis sui immortalitatem consecutus, ob uarias corporis & animi uirtutes non modò Germanis, sed etiam exteris nationibus gratissimus fuit. Con,
Lycosth.